BRITANNO-ROMANVS,

SIVE

ANGLIGENARVM

in Collegio Romano vitæ ratio.

Autore,

IOHANNE EVERARDO.

Tibul.

--*Fœlix quicunq; dolore*
Alterius, diſces poſſe cauere tuo.

Londini excudebat *Gulielm. Hall*
impenſis *Guliel. Welbie*
1611.

Candido Lectori ſalutem.

EXpertus ſum, idq́ue magno meo malo, maiori temporis diſpendio, & ſummo animi periculo, quæ hic ſcribo: Damnanda interim Curioſitas, quæ me eò temeritatis deduxit: ſunt tamen plura quæ cauſari poſſem ni apud eum iudicem res ageretur, cuius omni ſcientia me prorſus ἀναπολόγητον *reddit; verum poſtquam quod factum eſt, infectum fieri non poteſt, faxit me pænitentia Epimetheum. Tu autem ſi ſapias, lector, alieno damno ſapias magis, & mea quoque fruaris inſania. Vale, & quæ demorſos non ſapiunt vngues,* οὐκ ἂν πικρῶς ἐξονυζοις.

I. E.

BRITANNO-ROMANVS,

Siue

ANGLIGENARVM

in Collegio Romano vitæ ratio.

Argumentorum capita, a quibus Anglorum ſubuerſionem auſpicantur Pontificij.

CAPVT. I.

QVi in Anglia ouium pellibus amicti, *Ieſuitæ*, ſæculares (quos vocant) ſacerdotes, *Benedictini*, *Franciſcani*, cuiuſuis deniq; alterius ordinis vagantur lupi, iſtud impri-

imprimis ſatagunt, vt primates nobilioreſque regni Proceres, (quos penes imperium aliquatenus eſſe videatur) nec ſegniùs *Academicos* (quibus ſecundas ipſe aduerſarius non facilè denegabit) ſpinoſioribus in ſuam tranſgredi ſententiam rationibus, ſi non perſuaſerint, at quouis demum artificio cogant.

Enimuero vidit iamdudum veterator ille, (è cuius gremio hi *Locuſtæ* in mundum erepſerunt) vberiorem ſe animarum meſſem, ex vnius principis, quàm infinitæ plebis lapſu indies demetere: Quo fit, vt cum iſtud per ſe tentare non auſint eius ſerui, hi quos dixi, [a] σοφώτατα κράνια, nullum tamen non mouent lapidem, vt per eos, quos iamiam inferis deuouerunt, (ſic homo homini lupus) ſi qua detur vel affinitatis, vel cognationis, vel etiam amicitiæ cauſa, quos petunt ad minimum conueniendi, et tutò alloquendi ſuppeditetur facultas.

[b] Iſthoc ego pacto, mediante nimirum et ſaluum quaſi adoperante conductum, vno aliquo in ipſorum numerum non ita pridem adſcripto, totas

[a] *Qui ſibi ſapere videntur.* *Ariſtop.* ἐν νεφέλαις.

[b] *Id certe moris eſt apud Hæreticos, vt obumbrent ſeipſos & occultent in principijs quouſque maiorem fiduciam capiant & quodam fauore multitudinis iuuentur, tum enim contagioſa venena intrepidè effundunt. Chryſoſt. in homil. in Matt. 47.*

totas à fundo euerſas deprehendi familias, vt ingemiſcat etiam adhuc locus ille, vbi primitùs hanc lucem aſpexi (altiùs enim exempla non repetam) & quàm non contemnenda ſit vel vnius mulierculæ ſuperſtitio, ſuo edoctus malo ſapiat. Nec mirum; quid enim? facta alloquendi copia, dici non poteſt quàm impudenter ſuas exſcreent *cacologias*, quam nihil illis, extra quam maledicta, conuitia, [a] ῥήματα μαγειρικά & [b] *ſimulationes cupreſſi*; Quod ſi cum iuuene aliquo, vel muliere agatur, quorum alterius ingenium ad ſuperſtitionem, vtriuſque ad formidinem pronum, hîc iam terrorem incutiunt, iam ad ſpem erigunt,

—[c] *Precibusq; minas iam fortiter*
addunt,

nuſquam extra eccleſiã ſperari poſſe ſalutem ingerentes: hoc nempe voluiſſe veteris teſtamenti Prophetas, hoc noui *Euangeliſtas*, & *Apoſtolos*, hoc denique quotquot ab antiquo ſcripſerunt patres: Euge *Ieſuitæ*, peruidiſtis illud [d] *Samy Lucumonis* acumen; Hoccine erat in votis? Abſ-

[a] *Verba inſulſa & qualia lixæ deceant. Lucian.*

[b] *Horat. in arte Poet.*

[c] *Virgil.*

[d] *Rem acu tetigiſtis. Sic Theod. Marcel.*

 que

que ſanguine euiciſſetis & ſudore: At *Romana*, inquiunt, eccleſia vera eſt & *Catholica:* [a] οὐκ ἂν διαῤῥαγείητε: Quin *Alchoranus* capite [b] *Elmyde, Deus*, inquit, eſt *excelſus & bonus:* Chriſtianiſſimè: & *Alchoranus eſt lex ſaluationis.* Aliàs Cap. [c] *Elheaffarim: Nullus eſt alius Deus, niſi Deus:* Optimè: *Et Mahometus eſt Propheta veridicus:* Agnoſcitis paritatem connexionum: At ſequitur vara vibiam in orthodoxos conuitia: *Lutherus*, inquiunt, *Caluinus, Oecolāpadius, Zuinglius, Beza*, qui homines? Dæmoniorum conſultor, ſtigmaticus, parrhicida, mēdax, vxorarij omnes, & veſtri inſuper *Protoprophetæ*, adeo nuſquam ſibi conuenientes, vt vel indicio ſit, & cauſam prodat ipſa inconſtantia,

[d] Ὣς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Pergunt tamen, & poſtquam [e] *pinguem affatim euomuerint ſaliuam*, blandiſſimis verborū lenocinijs iam vacillantes animos deliniunt, vt vix poſſibile ſit illiteratorū gregi idiotarum, qui quod reſponſitent in prōptu non habent, vllatenus pedē referre.

At

[a] *Negandi, vt Plaut. ne ſi diſrūpamini quidē.*
[b] *Menſa.*
[c] *Heretici.*

[d] *Vtinam diſperdatur & alius quicunque hæc dixerit. Homer.*
[e] *Macrob. in Lent. Sat. 2. q. d. Maledicta ſatis ſuperque ingeſſerint.*

At cordatioribus, quibus huiuſmodi [a] nebulis ad parietem pictis fucum facere non poſſunt, aliter occurrendum cenſent, & *Antiquitatis* frontiſpicium Idolorum templis illinentes, vbi inquiunt, veſtra Eccleſia ante *Lutheri* tempora? Immò & nunc demptis *Anglis*, ac pauciſſimis inſuper *Germanis*, *Galliſq;*, nonne totus orbis terrarum noſter eſt? *Magnum ſane prodigium qui mundo credente non credit:* Apagete vos ablegmina, [b] ὀνόματα

• σοφίης ἐπάκροισι θαμίζειν

[a] *Quæ videntur & non ſunt.*

D. Auguſt.

[b] *Empedoc. de Menon. Theſ. Cæteros omnes Philoſophos præ ſemetipſo cõtemnente.*

Narratiunculam equidem inſtitui, & illam ſane breuiorem æquo, itaq; in [c] ſtribiligines veſtras non anquiram: Mitto illum cuius vos fidem leuatis nimium: Quid ij quos viritim nominaui, *Whitakerus*, præterea *Fulkus*, *Reynoldus*, *Mortonus*, atq; alij complures, quorum

Nomina ſunt ipſo penè timenda ſono.

An non ita exſertim hoc copioſéq; redarguunt, [d] vt bellutus ſit non intelligens, *Cynomyia* improbans: Sed prouidiſſe vos vobis meliùs his

[c] *Apul. Florid. 2. Inſcitiam veſtram non redarguam.*

[d] *Vt nemo ſit tam hebeti ſenſu quin intelligat, nemo tam perfricta fronte qui neget.*

[a] his raptis credimus; quanquam mihi vel eo nomine ſuſpectus eſſet Papiſmus, quod veſtris ſimulac ſophiſticis irretiantur argumentis, vt non ſit vlterius libertatis ſpes [b]*(vt enim lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi, ſic animum eis quæ perſpicua videntur cedere neceſſe eſt) Maltanis* edictis interdicitis, ne [c]Hęreticorum, quos vocatis, libros deinceps euoluant, vel auſcultent demum aliquid, ſit licèt vſque & vſque neceſſarium, & vero verius, ſi ex ore *Proteſtantium* egrediatur. Nec ſcio certè, quid aliud præ ſe ferre poſſit, præter ſummam cauſæ diffidentiam, quod apud vos, vbique gentium, etiam in ipſa principis *Apoſtolorum*, eiuſque ſucceſſorum aula; *Romam* dico, quippe ni? impunè permittantur *Iudæorum Synagogæ, Turcæ, Saraceni*, cum nobis, quos tamen nemo vnquã (quod ſciam) denegauit *Chriſti-*

[a] *Reconduntur enim noſtrorum libri quos penes ſe habent, vt nec Jeſuitæ quidem eos pro arbitrio legere poſſint ni habita prius a ſuperiorbus venia.*

Cicer. in quæ. Acad.

[b] *Hoc omnibus quotidie vſuuenit, quibus cum illis negotiũ eſt, vt vix crebrius quicquam ſit apud eos, quã quod noſtrorum ſingula verba totidem ſunt mendacia: Sic Kelliſonus: ſic Parſonius in Philopat, & alibi ſæpius.* [d] *Judæi intra mœnia Romæ duas habent Synagogas, at quoad Turcos, & Arabas mercatores eorũ ad portũ Anconitatum & Hoſtienſem, qui duo ſoli Pont. Rom ſubiacent, impunè appellunt, quod noſtratibus denegatur.*

anos, aditus ſit vſque adeo recluſus, vt capite plectatur quicunque *Proteſtantem* vel [a] olere conuincatur.

Quoad vero *Academicos*, longè aliter cum eis agunt; licèt enim (quod ab ipſorum ore accepi) latitent in *Cantabrigia* & *Oxonio* aliqui huius farinæ homunciones, iique non de plebe, ſed quos ob vafrum ingenium, ad iſtud munus obeundum idoneos viderint ſuperiores, non facilè tamen quempiam aggrediuntur, aliqua præſertim vel ingenij vel eruditionis nota inſignẽ; aſt huc atque illùc laicorum, plerunque etiam generoſorum ſpecie & habitu diuagantes, conuiuijs, comeſſationibus, interdum & ſcholis, (animi nempe gratià) ſedulò ſeſe immiſcent, dum coaleſcente familiaritate, inter colloquendum inijciant forte fortuna (vt videri volunt) tragulam aliquam, reuera ſcirpeam de [b] *Homerica ranuncula*, ſed quæſi benè procedat. [c] *—læuumq; ſerenó*

Intonuit Cœlo,

ſatis erit valida ad homines verſipelles, & nunquã non nouitatis auidos,

e pri-

[a] *Taceãt igitur & vlterius tolerationem ne quærant cũ illorum apud nos longè æquior ſit conditio quam noſtrûm apud eos, quibus aqua & igni interdictum eſt.*

[b] *De re nihili*

[c] *Zanizar. Lib. 1.*

è priſtina ſententia dimouendos; iámque non tantum probando incumbunt, quantū Philoſophicis deliramentis, & ſophiſticis diſtinctionibus contraueniēdo iis, quæ vel opponuntur vel opponi poſſunt. Sin minus iſtac procedatur via, vincant neceſſe eſt obedientiâ, expectationis tædiū, dum *dante die quod dies negat*, occurrat aliqua animi ægritudinis cauſa, puta ſi ſocietatis promotioniſue eccleſiaſticæ ſpe fruſtratus, aut ære alieno obrutus fuerit, hanc qualis, qualis ſit, auidè arripiunt, alunt, fouent, dum in apertam *apoſtaſiæ* flammam enutriuerint: Poſſem ego plurimos nominare, iam nunc *Romæ* ac alibi degentes, qui cauſentur dum velint conſcientias, & ſint aliquæ *aſininæ*, quibus *elucus moleſtus ſit, cum cucurbitas lippire pergant*, at multæ proculdubiò *lupinæ* ſunt, quibus non adimpleta ambitionis cupiditas, in cauſa eſt tranſgrediendi, dum pulchrè ſe vindicaturos, egregiamque reportaturos laudem arbitrantur, ſi vel cum animarum diſpendio cauſæ vniuerſa-

Terent.

Apul.

li

li damnum,ſin illud poterunt minus, ſcandalum ſaltem crearint. Hos ego, vſquequáque mihi exploratiſſimè cognitos, ita viuam, ni maturè reſipuerint, cogam adparere qui ſint, [a] *ſtridentes lamias*, & meras ſartagines græcas nuces frigentes. Atq; hæ vſuueniunt(vt plurimum)*Chriſtianos* ſeducendi artes & technæ crebriores: ſunt tamen aliæ quibus

[b]-*Non inſidias, non nectere fraudes*
Indocti--

ſparſim vtuntur, prout fortuna ſe dat, & ingenium eius quicum tractant; nam ſi ſingularitatis affectatorem ſenſerint, qui nolit eſſe ſicut omnes ſunt, ei ὀξεῖς εἰς τὸ παιθ' ἰρᾶν ſæpius inculcant, quam ſordidum ſit vulgus imitari, religionem (cuius infimæ ſortis homuncio autor extiterit) amplecti, cum terrarum deniq; fæce, ac colluuie gentium ad inferos deſcendere: ſin magnum quiddam ſpirantem, & ad honoris faſtigium anhelantem viderint, hic *Paratragadiant*, & tanquam

[c] *euantes Orgia Bacchi*

clamant nihil eſſe in terris grande,

[illegible] nihil

[a] *Vide Philoſtrat. in vita Apollon. Lib. 2.*

[b] *Zanizar. Lib. 1.*

[c] *Vigilantes & acres ad quamlibet occaſionem arripiendum.*

[d] *Ouid.*

nihil honorificum, nil magno animo dignum, quod non ſit *Pontificiæ* poteſtati ſubditum, vt nuſquam apud nos quiſquam vel doctrina, vel quouis demum merito clarus euaſerit poſtquã a *Papa* defecerimus; exceptis perpaucis qui a *Roma* ſtabant, cæterorum enim (quantulacunque nobis viſa ſit) gloriam, vbi natam, ibidem mortuam prædicant.

Reſtant adhuc è *Machiauelli* ſchola viri nec cætera ignobiles, qui cum mirè ſibi politici & prudentes videantur, tum iſtorum imprimis perditorum conſilio mundana ſapientium, pluſquam filij lucis, huic quoq; militiæ nomina dant; edocti ſcilicet, ut ſpem bonam, immò firmiſſimam concipiãt perſuaſionem, eſſe in fatis & quam mox affore tempus, quo iſta ſecta (quã vocant) Hæretica, quæ non ita pridẽ vt aiunt, ab *Orco* originem duxit, (mitto dicere quos impiè ſibi fingunt modos, ſeu ſublatũ proditionibus ſummũ moderatorẽ, ſeu morte naturali, ſeu aperto denique Marte vel inteſtino vel extraneo debellatum) in *Gehennam* detrudatur: Quod ſi

ſi quando euenerit (euenturum autem certo certius balamitæ aſſerunt) ô fœlices illos, quos tempore perſecutionis firmos & inconcuſſos deprehenderit *Eccleſia*; quanti illos honores, quantæ manent dignitates *Cardinalatus*, ampliſſima denique *Reipublicæ* obeundæ munera? ſin ſerius aliquando futurum ſit, *modicum tamen eſſe quod toleratur, ingens quod ſperatur.*

Siccine [a] δοκησιδέξιοι? veſtri ſcilicet ea res fori eſt & comitij

—[b] ὁπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται?

Memineritis ſaltem quod

[c] *Temporis æterni hic & non*
tantum vnius horæ
Ambigitur ſtatus.

Sed mitto veſtram politiam, adeo [d] *ſpurcatur naſum odore inlutibili*, & ad rem redeo.

[a] *Vana ſapientiæ opinione tumidi.*

[b] *Homer. Cui mors & fatum deſtinetur.*

[c] *Lucret.*

[d] *Apul.*

Audomaro-

Audomaropolim aduenientes qualiter accipiantur.

Cap. II.

a Laert. in vit. Philoſ.

QVod igitur [a] *Diogenes* olim pro bona valetudine ſacrificantes in ipſo ſacro epulis ingurgitatos quæſtus eſt, idem nobis commentari licet de his, qui ſimplicitatis laruâ induti, ea tamen potiſſimùm ad aſtutias & fraudes ſuas excercendas abutũtur: Nam cum animas Deo lucrãdi deſideriũ præ ſe ferunt, nihil tamẽ minus agere argumento eſt, quod vulgus, & mulierum plebẽ (niſi quatenus vxorũ, matrum, vel etiã ſororũ iure alios peruertere valeant) penitus negligentes, vtpote oneri futuros potius quàm adiumento, & ipſo capitum numero ſuſpicionem aucturos, eos demum ſummo captandi ſtudio venantur, quos ſibi vel autoritate præſidio, vel diuitjis ſubſidio, vel denique, (de quibus hîc potiſſimum ſermo inſtituitur) quos conſeruandæ ſpeciei, hoc eſt, luporum

in

in gregem *Anglicanum* miſſioni continuandæ, vtiles fore præuiderint: Ecquid autem? iudicem nolo *Polypoſum*, ſit vel tantillulum naſutus, an non hoc

[a]*--multò ſapit altiùs iſtud*
Quod cum panticibus laxis & cum pede grandi,
Et rubro pulmone vetus, naſiſque timendum,
Omnia crudelis lanius per compita portat?

a Martial. lib. 6. ep. 64.

Illis igitur ſaltuatim perſtrictis, *vncti enim ſunt, fricari ſe ex antiquo volunt*, hos præcipuè & quidem *Romam* vſque comitabimur; licet obiter in *Belgium* vnius inſtar noctis diuerſorij, niſi ſi qui ad iter vlterius ſuſcipiendum, vel imparati adhuc vel inualidi extiterint, neceſſariò diuertendum ſit.

Apul.

Atque ij ſanè qui *Audomaropolim* aliquanto diutiùs ibi manſuri ablegantur, tales ſunt, qui vel parentibus *Catholicis* (falsò dictis) oriundi, primis pueritiæ annis eò inſtituendi mittuntur (ſeu proprijs amicorum impenſis alantur, quod genus

ad minimum quadraginta reperies, quorum ſingulis viginti per annum minæ ex *Anglia* ſuppeditantur; & iſtorum quidem pars maxima non deſtinatur ſacerdotio, ſed *Ieſuitarum* ſolummodo doctrinæ, dum in viros euaſerint, imbibendæ; ſeu aliàs communibus *Collegij* impenſis, ex *Auſtriaci* dono enutriantur : vel qui, vtcunque à vero deficientes à *Confeſſarijs*, quorum imprimis intereſt iudicare quinam ad iſtud operis per ætatem, educationem, ac ingenij facilitatem idonei ſint, habita prius conſtantiæ illorum experientia, literis muniti commendatitijs illuc dimittantur ; Atque horum equidem aliquibus per ſeptem, alijs per ſex, quinque, quatuor, vel tres annos plus minus, vt res poſtulat, ibi dimorari neceſſe eſt, dum *Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, Græcam*, etiã alequatenus edocti, ad grauioribus ſtudijs *Duaci Romæ*, vel in *Hiſpania* incumbendum maturi à ſuperioribus deputentur. Qui verò *Audomaropolim* obiter, & per tranſennam veluti, vt ibi penitius tantùm explorentur

rentur inuiſunt, ij ſunt plerunq; , qui poſtquàm bonis literis operam in *Anglia* nauarint, aliqua demũ earum (quas ſuprá memoraui cauſas) commoti ſolum vertunt, & in aduerſariorum caſtra confugiunt, quibus tamen

[a] *Eſt aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum*
Audendum,

vt priuſquam ex *Anglia* egrediantur, inſigne aliquod conſtantiæ ſpecimen edant, & deinde *Ieſuitæ* alicuius, vel alterius(vt res fert) *Cacolici* literis, ſi cupiant ſibi quam primùm à *Collegiatis* fidem habendam, commendati abeant.

Sin, quod aliquando vſuuenit, aliquis vſque adeo improuidus inueniatur, qui illuc abſque ſolido conuerſionis teſtimonio contendat, hunc [b] *Loiolitæ* protinus in eculeo interrogatiuncularum diſtendunt, indagantes quibus modis ? cuius adiumento ? quo in loco? quando denique *Catholicus* factus ? & ſit adhuc reconciliatus necne ? quibus omnibus reſpondente eo, accuratiſſimè ad-

 uortunt

[a] *Ieuenal. Sat 1.*

b *Jeſuitæ ab Ignatio Loyola Hiſpano ſunpano ſundatorē eius ordinis.*

uortunt, ſi qua vel minima contradictionis nota apparuerit ; nec iniuria, ſemper enim ſuſpectus eſt, qui rationibus adeò ſuſpectis facilè ſe commotum præbet. Poſt aliquantulum igitur temporis, ſi bona fide eum agere compererint, perinde eſt, ac ſi literis munitus veniſſet ; ad conſortium enim ſcholarium, (licet in *Collegio* non degat) ac patrum familiaritatem admittitur, quibuſcum exſpatiari licet, templa ac monaſteria inuiſere, ciuitatem perluſtrari, ſcholas adire, lectionibus *Rhetoricis*, *Poeticis*, *Græcis* intereſſe, *Imperatores* de ſumma imperij digladiantes, *Prætores*, *Tribunos Militum*, *Quæſtores*, *Centurioneſque*, vnumquemq; contra aduerſarium ſe dignum decertantem videre ; &, niſi nolit ipſe, litem ſuam facere poteſt, ſed placidè tamen: quoniam

[a] *Horat.*

[a] *Parcendum eſt teneris, nondum impleuere medullas*
Natiuæ mala nequitiæ.

Atque iſthoc ſanè pacto, diebus aliquot abactis, cum hoſpitis mores pulchrè cognitos habuerint, quò ad altiora

altiora cõtendat, exercitiũ, quod vocant, ſpirituale imponunt: Cuius ordinem & modum, à *Beato* nempe *Ignatio* ſocietatis *Ieſu* fundatore, (vt ferunt) inuentum, & ſuis iure hereditario relictum, quoniam nihil intereſt vbi ſuſceperis, ego ita depingam, vt mihimet ipſi *Roma* non ita pridem obſeruandus proponebatur.

Exercitij Spiritualis ratio, progreſſus, & finis.

Cap. III.

ABierant iam nouem dies ex quo *Romam* adueneram, & ibi, quod moris eſt, in *Xenodochio* detentus, ſquallorem, ſordeiſque quas ex pulucrulento itinere mihi conciliaram lautè ſanè curatus, ac quietis commoditate refocillatus ablueram, cum vergente iam ad vmbilicum die (erat autem is *Martis*) accurrit quidam, nuncians debere me animum recolligere, ac à terrenis auocare; ſtatuiſſe etenim patres craſtino die

ſubeundum mihi exercitium ſpirituale: nec plura effatus ſe proripuit, & me, neſcio quid cogitabundum, at certè, longè aliud quam ille opinatus eſt meditantem reliquit. Tranſacta nocte, hora matutina (quam [a] *Anglus* diceret quintam) aduenit *Ieſuita* quidam *Pater Confeſſarius*, & chartularum in manu faſciculum gerens, arrepta cathedra, meq; ex aduerſo conſidere iuſſo, prolixam orditur narrationem, de exercitij illius inuentione, modo, nominis ratione, vſu,

b *Doctum, Iuppiter, & laborioſum*, ſed cuiuſmodi ego nugarum trimodias nebulæ cyatho deinceps non emerim; qua vſque an raucedinem continuata, mihi primò omnium edicit, vt [c] *licet parum ſani ac ſanabilis eſſem ingenij*, quod quo fieret meliùs νήπιον memet & infantulum præberē, vt quoquò ducat *Spiritus Sanctus* ſequerer libens; ne ſi nunc pulſanti peruicax non aperirem, denuò forſan non pulſaret, proinde propriæ voluntati abrenuncians nihil omnino me ſcire exiſtimarem, ſed ſemper eligerem

[a] *Quoniã Itali ab occaſu Solis horas vſque ad vigeſimam quartam computant.*

[b] *Catul.*

[c] *Senec.*

gerem [a] *aliena potius verecundè diſcere, quàm mea impudenter ingerere:* atq; hanc occaſionem mordicus arripiens, acriter in *Anglorum* inſcitiam inuehitur, ſiquidem nihil apud eos ſolidæ eruditionis, nihil ſanæ veritatis reperiri, quin etiamſi *Doctor* ibi fuiſſem, ſi ſuo me metirer modulo (ac per ætatem liceret) à primis vſque elementis denuò inciperem, hoc enim facere indies qui *Romam* ventitent, & etiamſi apud *Hereticos* (iſta enim ſola nos dignantur appellatione) eximij fuiſſent *Theologi*, illuc tamen ſimulac venirint, vtres apparere titulo tenus inflatos, terminos neſcire, immò ſi argumentis res agatur, iurares, inquit,

b *Lupos vidiſſe priores,*

adeò deprehenduntur non [c] λόγου verum αἰσθήσεως, quod alicubi dixit *Ariſtoteles*, δεόμενοι: Hic ego tacitus mecum cogitabam Diaboli fraudes, qui [d] καὶ θεὸν πρὸς ἀνθρώπους διαβάλλει, καὶ ἡμᾶς πρὸς θεὸν, πάλιν ἡμᾶς πρὸς ἀλλήλους: & quamuis vel inuito penè mihi excidiſſet illud b *Segrega ſermonem, tædet*, meliore tamen conſilio tacui: quoniam

[a] *Hieron. in ep. ad Paul. 103.*

b *Virgil.*

[c] *Ariſt. non rationis, verum & ſenſus expertes*

[d] *Et Deum ad homines accuſat, & homines ad Deum, & rurſus homines ad inuicem. D. Chryſoſt.*

[e] *Apul.*

a Plaut.

---[a] Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier,
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius:
Sin obſequaris, vnica reſoluas plaga.

Sed ne plura: omnia enim erant paria & eiuſdem piſtrini, arces de cloacis, lapides de ſepulchris pro numine; tandem aliquando, cum tædio verborum euictus facilè quiduis dixiſſem, quò viuus ab eo diſcederem, promit tres rotulas chartaceas, & primam mihi porrigens, en, inquit, tibi regulas perpetuò inter meditandum obſeruandas, quorũ ſumma hæc fermè erat.

1 *Ut pura meditatio (hoc eſt abſquè oratione præparatoria, & colloquio) per integræ horæ ſpatium ad minimum diſtenderetur.*

2 *Ut lucem quantum commodè fieri poſſit excluderem.*

3 *Ut hominum colloquia omnibus modis euitarem.*

4 *Ut in quo puncto meditationem optimè ſuccedere animaduerterem, in eodem permanerem abſq; mouendo,*

vſq;

vſq; ad finem, ſeu ambularem, ſtarem, genu flecterem, vel pronus in faciem iacerem.

5 *Ut etiamſi deſolationem aliquantiſper ſentirem, nuſquam tamen expaueſcerē, eſſe enim Diaboli, huiuſmodi ſcrupulos inijcere, quin potiùs breues aliquot & iaculatorias preces contra derelictionem fundendo, protenus ad meditationem redirem.*

6 *Ut ſemper accuratiùs cauerem paſſiones lætitiæ quàm doloris, quod ſæpius ſub illis lateat ſerpens: proinde non admittendas eſſe, niſi prius ſedulò excuſſas à quo ſpiritu immitterentur.*

7 *Ut quæ meditatio optimè finem aſſecuta fuiſſet, ea ſæpiùs repeteretur.*

Hæc, & ſi qua alia ob labilem & fluxam nimiùm memoriam mihi exciderunt, inibi deſcripta, ille ſuis commentarijs illuſtrauit, quàm ego verborum [a] φυλακὴν ſic prorſus auſcultaui, vt canicularum ὑλακήν. Porrecta dein meditatione præparatoria, iuſſit vel potiùs exorcizauit, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, vt poſt ſeſquihoræ recollectionem fæliciter aggrederer, & relicta

[a] *Verba parùm ad rem ſpectantia.*

relicta ibi etiam alia, quam hora poſt prandium ſecunda perficerem, benè mihi precatus, & ſe veſperi me inuiſurum ſpondens, abit; ſublatis tamen ſecum quotquot erant incubiculo libris, adeo, vt ſoli in tenebris obuerſanti, horrendum ſane, nunquam tale quid experto, ipſe locus præ ſe ferret. Vt vt finita demum ſecundùm regulas (anxius enim ſuſpicabar, licet expiſcari non poteram, vel deſuper vel ab extrà per foramina conſtitutum aliquem actionum arbitrum) meditatione præparatoria, cuius erat inſcriptio, vbi *ſunt dies vitæ tuæ*, & quæ neglecta cæterarum methodo, gratiarum tantùm actiones continebat, quod tam diu inter obſcæna mundi flagitia & Stygios errores volutatum immenſa Dei bonitas tandem ad purum veritatis nitorem erexiſſet, iam me accingebam ad eam quæ prima erat in meditationum numero.

Aduertendum autem eas omnes ab ouo vſq; ad mala in treis claſſes eſſe diuiſas: quarum primæ proprium eſt, dolorem ciere & contritionē, de-

promptæ

promptæ nimirũ è peccati natura turpitudineq;, è recordatione obitus, iudicij, purgatorij, inferni; è Chriſti deniq; paſſione, morte, ſepultura.

Secundus ordo amoris pariter & gaudij actus elicit: reducens in memoriam, quanta paſſus eſt ſaluator, quanta fecit, quanta nobis promiſit & præparauit: deinde etiam ob oculos ponens bonorum lætitiam, in vita, in tranſitu, poſt obitum; In hac vita, conſcientiam puram, ſanctorum interceſſionem, Dei familiaritatem; in tranſitu, Dæmonum confuſionem, Angelorum protectionem, præſentiſſimum beatæ Virginis numen: poſt obitum, iudicem placatum, ſententiam deſiderabilem, & gaudium cœleſte, non modo ſimpliciter, ſed & ſecundùm noſtum modum concipiendi interminatum, quantitate, qualitate, tempore.

De tertia denique perfectifica (ſi verbum [a] prox ſit & Latinum ſatis) quæ obedientiam ſuadet, & proinde non tam in præſenti ſpeculatione conſiſtit, quam in ſubſequentis vitæ praxi, mox ſuo loco plura dicemus, huic

[a] *Propriũ ſic Varro, Cat. 4. lib. illius*

huic enim ſubordinantur reliquæ duæ, tanquam vltimo in hac vita bono actiuo, & cuius conſummatio martyrij meritum, vt aſſerunt, longè præcedit.

Iam verò ſingulas ſingulorum claſſium meditationes, hîc verbatim inſerere, neq; meæ eſt memoriæ, nec huius inſtituti: ſatis erit ſuperque ſi ordinem & methodum, quæ ſemper & in omnibus eadem ſunt, breuiter retexendo, eoq; pacto quod ſupervacaneum eſt amputando, mihimet ipſi illam operam leuem.

Exordium itaque perpetuò ſumitur ab oratione, in qua obnixè a Deo contendendum eſt, vt pulſis tenebris quibus obnubilatur intellectus noſter, diuinæ ſuæ virtutis lucem mentibus infundere velit, vt Angelis de nobis mandet, ne inter meditandum frequentes Diaboli inſultus nos vel diſtrahant, vel quomodocunque impediant, quò minùs animæ noſtræ illi vniantur, ac ineffabili ſuæ bonitatis ſuauitate alliciantur, vt illum vnicè ament, & præ omnibus deſiderent.

Præmiſſa hac precandi formula ſequitur compoſitio loci, quæ pro varietate materiæ, ipſa quoque varia erit: aliquando enim lecto mortali aliquo morbo affixos, aliquando cum Chriſto agonizante in horto, nonnunquam ad tribunal Iudicis, quandoque in *Pilati* conſiſtorio, in *Golgotha* ſemel, frequentius in *Tartaro* innumerabilibus Dæmonum cateruis ſtipatos, non raró in *Purgatorio* clamoribus cruciatorum attonitos, multoties in cœlo Angelorum choris immixtos, demùm veró in patibulis, ignibus, furcis poſitos, ac quouis vel crudeliſſimo mortis genere afficiendos noſmet ſomniantes imaginabimur: Dicam quod res eſt; admonendos velim qui huic deinceps exercitio perquàm commodos ſe futuros cupiant, vt ſtudioſè *Homeri Odyſſeia, Aeneidwn* libros, *Heſiodi* θεογονίαν, *Ouidij Metamorphwſeis, Luciani Dialogos,* & ſi qui alij *Eumenidas, Furias, Rhadamanthum, Minoa, Aeacum, Styga, Lethen, Pythagoræ* μετεμψύχωσιν, (quæ illi erat inſtar Purgatorij) ac *Elyſios* denique

nique campos magna voce,& verbis ſeſquipedalibus proſecuti ſunt: Quoad me, vt ingenuè fatear quod cenſeam, nuſquam hercle iſtum comminiſcendi laborē exantlaſſem, niſi *Dantes* ille *Florentinus* in partes cum triplici ſuo commento veniſſet, Illi ego plurimum me debere, immo totum quem ex iſthac exercitatione percepi fructum, nunquam inficiabor: Qui enim fuiſſem inueniendo Chimæras iſtas, & rationis entia, quæ nullubi terrarum ſunt, ſi tanti Poëtæ ingenium materiam non ſuppeditaſſet? Sed mittamus iocularia. Poſtquam locum iſtum iam inuentum ſedulo verſauimus animo vna cum cœteris circumſtantiis,proxime occurrunt puncta, quæ vocant, meditanda: & ſunt ſanè eius generis, quæ ex re ſubiecta ad numerum quatuor vel quinque, interdum etiam ſex neceſſario reſultantia, * impunè cogitari queunt,immo è quibus vir prudens aliquem in pietatem conuertendum ſuccum forſan expreſſerit.

* *Grandis eſt prudentiæ aurum in lutò quærere. Hier. ad Lætam, de inſtit. fit.ſol fol.* 58.

Inſumpta hiſce hora, ſubſequitur col-

colloquiũ, quo terminatur meditatio; illud autem prout res poſtulabit, vel ad Deum fiet, vel ad Crucifixum, vel ad Beatam Virginem, ſic ſemper [a] *Aliquid mali propter vicinum malum.*

[a] *Cuilibet enim deuotionis actioni ſuum admiſcetur venenum Idololatriæ*

Atque hæc quidem ita ſe habent; ego vero poſtquam opus mihi mandatum ſedulò peregiſſem. in multam expectaui noctem dum rediret magiſter ille cæremoniarum, quod etſi ſerò, euenit tandem, cum prehenſa manu, Ecquid agis, inquit, an ſuaue videtur propiore frui numine? an forte refugit caro? Aſt ego pro tempore, quod mihi viſum iſt reſpondi, & paucis inſuper verbis vltrò, citróque habitis, tradidit mihi in manum tres alias meditationes futurum craſtinæ diei emolumentum, ac fœlicem præcatus noctem diſceſſit. Et ne ſingula perſequar, itidem factum eſt per ſeptem dies, quo tempore neminem præter ipſum allocutus ſum, qui enim victum attulit quotidianum, tacitus, ſemper ingreſſus & egreſſus eſt, vt picturam mouentem dixiſſem, non hominem, niſi quod cum fixis ocu-

oculis intueri, expreſſè mihi vetitum eſſet.

Cum igitur duas priores illas euoluiſſem claſſes, iamque ad ſupremam anhelarem, ecce multa nocte aduenit *Confeſſarius*, & poſt ſolitam dictam ſalutem, [a] *Iam* inquit, *certamen cernitur, iam ſpecimen ſpecitur*, ventum eſt enim ad ſummam controuerſiæ inter ſpiritum & carnem, & ſi non refragetur φύσις humana, facilè temet pluſquam hominem præbueris: ſed nec cuiuis datur, nam cum homines nati ſimus, ratione ducimur, & naturâ acti, ea quæ nobis bona videntur appetimus: At in huius, quē dico, viri omnibus numeris abſoluti ortu regeneratiuo

---*Silet natura pauetque,*
Attonitæ ſimilis, confuſaq́ turbine rerum
Inſolito, occultas conatur quærere cauſas.

Vis vnico dicam verbo? Obedientia eſt, quæ cum virtus non ſit, omnium tamen virtutum principem ſe & moderatricem facillime aſſerit: Illa, illa fuit, quæ cœlum impleuit ſanctis

[a] *Plaut. in Amph.*

[b] *Zanizar. Lib. 2.*

ctis, terram *Martyribus*, è quorum ſanguine, ſacrato *Euangely* ſemine, pullulant indies & conſurgunt germina, quos *Angelos* humana carne veſtitos rectiùs dicas quàm homines.

Nec me illam dicere putes, quæ cauſarum indagatrix, & autoritatum expoſtulatrix improba vbique gentium tantopere prædicatur; ecquid enim meriti debetur ei, qui quod ſibi pulchrum videatur, quodquè ipſe percupiat ſectetur ? ſed quæ *Catholicorum* propria, (quorum ordo & ſubalternatio ſic concatenata ſunt, vt ſuperioritatis, & proinde mandati, ratio à ſummo Pontifice infallibiliter dependeat) non quærit rationem præcepti, dum pręcipientem legitimè in autoritate conſtitutum cognouerit : Sic habituatus aliquis, præcipiatur quiduis, obſequetur lubens & alacer, nouit enim etiamſi malum ſit quod iubeatur, redundare culpam in caput iubentis , ſe vero meritum eliccre adimplendo iuſſa, proindè ipſum

[a] *Si fractus illabitur orbis,*
Impauidum ferient ruinæ.

Huius effigiem *Hieroglyphicam* quid dicam niſi baculum in manu geſtantis? non quæritur licet in ignē proijciatur: quid niſi æquum? (aſinum tamen dixiſſet certiùs) qui ducentem intrepidè ſequitur, agentem quouis ſecurè præit? Hic mihi refugienti paululùm & [b] [illegible]: Quid? inquit, vndè tibi [c] *Saturniæ lemæ* quas & lippus viderit? Si [d] *Mathematicus* prælector, qui iam tot annos ei ſcientiæ inſudauit, ac tantorum virorum ingenio, opera, libris vſus eſt, *Euclidis* vel *Procli*, quoad circuli, lineæ, quadranguli definitionem, improbaret, & rationes reſecando, ſuam tatummodo cauſaretur ſcientiam; Crederes, necne? Fieri poteſt, inquam, vt crederem: Si calcearius, quod tu corium ſatis eſſe ſuperque putaſſes ad conficiendas crepidas, non ſufficere deieraret, quid faceres? Tum ego, piaculū, inquā, eſſet non credere iuranti: At in maximis, inquit, rebus cum iam mortificationis fructus è meditationibus

[a] *Horat. lib. 3. Od. 3.*

[b] *Mirantis: nam ſic interpres Ariſtophanis in Βατραχ.*

[c] *Vide Eraſmum in chiliad.*

[d] *Clauius ille.*

nibusſperetur,tantũ tibi ſapere videris,vt nedũ proprium renegaris iudiciũ? Ecqua maior hominibus ineſt ſuperbia? ecqua *Chriſtiano* indignior preſũptio,quàm relictis alijs ſuæ adhærere ſententiæ,ac proprio cõfidere iudicio? quod corruptum eſt & obcæcatum adeò,vt recta veluti ſub aquis deliteſcẽtia incurua appareant, & è contra, dicente præſertim ſacra pagina, *ſtultum eſſe qui ſibi ſapere videtur*: Quin agedum, inquit,fili mî, quẽ ego in fidem genuiſſe dicar,Macte animo

[a] Μή τις κῦδος ἄροιτο βαλὼν
σὺ δὲ δεύτερος ἔλθοις.

[a] *Homer. Iliad.* χ. *de Achille capite innuẽte ne quis cõtra Hectorem telum mitteret, & ſibimetipſi gloriam præriperet.*

Ac ſi Deo inſeruire, adoptatum in huius Collegij alumnorum numerum, optabile tibi & pulchrum videatur, vide ne quis tibi obedientiæ palmam præripiat: fac quod illi ſolent, totum te Deo dede, ac eorum voluntati libenter ſubiace, qui ad iſtud munus ab eius vicem gerente deputantur: Hic ego tacitè

[b] *Ignoſcas petimus, Vacerra, tanti*
Non eſt, vt placeam tibi, perire.

b *Martial. Lib. 8. ep.* 69.

At illi, Mihi, inquam, intelligen-

tiæ ad hæc ſacra templum, magis ma-
giſque aperitur, refragantem ſen-
ſum, & rationem reluctantem mox
vt ſpero, euincam: Ibi ille, immò
noui, inquit, carnis laſciuientis blan-
ditias, itaque moris eſt, vt qui
in iſthoc ſacroſancto exercitio deti-
nentur, eandem ferocientē compeſ-
cant, ſeu fiat aliquid ei vſitati alimēti
detrahendo, ſeu in tabulatis aliquan-
to durioribus dormiendo, ſeu deni-
que chordulis illam minutis flagel-
lando: quorum omnium tu quod-
cunque volueris elige: quid multa?
poſtremam accepi conditionem, cum
ille ſubitò è ſinu promens [a] inſtrumē-
tum πεντέχορδον (ſubeſt enim myſterium
quinque *Christi* vulnerum) en ait
diſciplinare, & quidem molliuſcu-
lum, quod carni dolorem incutiens
corpori ægritudinem non inferet,
vtaris pro tuo arbitrio, & hiſce ſi-
mul per biduum incumbas meditati-
onibus, quæ iſtud agent in animo
quod vox mea in auribus, nempe vt
te perfectum in *Chriſto* effingant:
poſt duos denique dies te reuiſam,
eſto interim humilis, vt [a] habeat *De-*
us

[a] *Flagellum quinque chordulis minutis ac nodatis armatum.*

[a] *D. Aug. in Soliloq.*

us ad omnem medicinam paratum agrum: Hæc [a] *Manichæus* dixit & abijt, ſperans me ſuis,

b *Burris, quiſquilijs, ineptijſq;*

euictum, illis meam corporis animique ſalutem facillimè crediturum. Diſcedente illo, meditationes quas mihi ſex reliquerat, perlegi, ac deprehendi omnes ad vnam, partim cœli gaudia promittendo, partim Martyrij gloriam proponendo, partim denique *Chriſti* exemplo, ac ſacra pagina [c] (*cui non minus obſtrepit adulter ſenſus quàm corruptor ſtilus*) abutendo iſthuc agere, vt ad obedientiam, quàm vocant, irrationalem, meditantis animum efforment: Ego verò ratus, quod res erat, hic in cauda ſubeſſe venenum, quod ridens equidem & placidum ſerpentis os polliceretur ad primum, per totum iſtud biduum ſedulò mecum in contrarium penſaui, quam eſſet hoc dogma periculoſum, quàm ſacris literis non abſonum modò ſed & planè contrarium, quam tamen aptum ad religionem ſuam propagandam & ſtabiliendam:

[a] *Sic idem Auguſt. de Manichæi arrogantia.*
b *Auſon.*

[c] *Tertul. in præſcrip. aduerſus Hæreticos.*

Nam ſi iſtud adeò acriter ab eis contendunt, quos tamen non niſi ſæculares ſacerdotes futuros decernant, quique iſtiuſmodi exercitio non vacant, vltra duodecim plùs minùs dies : ecquid eis factum arbitrabimur, qui ſuis ritibus & ſacris *Ieſuiticis* initiandi nouitij, per totum biennium loco ad hoc peculiariter deſtinato continentur, vbi nihil aliud audiunt, præterquam id genus deliramenta : Miſeret me ſanè illorum, adeo interea quædam experiantur, quæ mens cogitare refugit, & talia fortaſſe patiantur, qualia verbis proferre erubeſcam.

[a] Quid enim triduano, quod ſæpiùs imponitur, ieiunio durius ? cum [b] *vt qui plus dat corpori, quàm corpori debet, hoſtem nutrit ; ſic qui minus dat corpori, quàm corpori debet, ciuem necat* ; Quid quatriduana perpetim vigilia inſalubrius ? quid deni que inhumaniùs cogitari poteſt, quàm aliquem in ſubterraneis locis, vbi mortuorum, vt moris eſt, cadauera reconduntur, per tres quatuorue noctes includere? Iam mitto illud quod ſub

a De his omnibus vide tractatum illū de ſecretis Jeſuitiſmi è lingua Gallica traductum. Ann. 1610.

b Gregor.

ſub finem annorum, aliâs rigente hyeme, aliâs medijs caniculæ caloribus, alij per centum, alij verò vſque ad octingenta millia paſſuum, peregrinantes ſine viatico ablegantur: Quorſum vero hæc omnia? ſcilicet, vt promptos habeant paratoſque ad quoduis ſcelus perpetrandum, quoduis flagitium, etiamſi certa mors inſequatur, ſubeundum; nec hoc grauatè quidem & coactim quaſi, ſed alacriter & hilari animo peragunt, vt qui firmiter credunt, ſi ſuperiorum iuſſis exequendis immoriantur, neſcio quid ſe Martyrio maius & excellentius adepturos: Hinc eſt quod iactet *Claudius Aquauiua*, præpoſitus ille generalis [a] miraculoſe conſtitutus, plures ſe, breuiorique ſpacio milites in caſtra cogere poſſe, quàm quilibet Rex Chriſtianus: Hinc erat quod tempore interdictionis *Venetæ*, cum iam vndique certum *Papæ* immineret periculum, ſpoſpondit idem *Pontifici* quadraginta hominum millia in ſubſidium, ſed ea lege, vt quotquot in prælio obirent, in martyrum numerum referrentur.

a *Vide Gretserum de laude Ieſuitiſmi.*

Eant nunc *Turcæ, Saraceniq́;*, & quos ipſi prima *Politiæ* fundamenta edocuerint, ab ipſis itidem veram proditionis praxin erudiantur: Atqui mirabar olim probatiſſimos aliquot autores euoluens, vſquàm gentium inueniri quales illi deſcribunt *Aſſaſinos*, omninm qui ſunt, qui erant, quique futuri ſunt, homines nequiſſimos, & proditores peſſimos, quos tamen, dempta externa fidei profeſſione, cætera *Ieſuitas* diceres; cumque hoc pontificijs aliquibus in os regererem, accepi protinus, quoniam teſtes plerunque noſtri erant, vſitatum illud reſponſum, mala eos fide agere, eſſe enim mera mendacia, & ſuorũ cerebrorũ figmenta: At nunc en ex ſinu teſtem, quem ingratijs ſpectãtes lapideſcere cogentur: Is eſt *F. Ricoldus Florentinus*, ordinis *Prædicatorum*, in libro qui inſcribitur [*] *Propugnaculum ſidei aduerſus Alchoranum*, vbi probaturus legem *Saracenorum* non eſſe legẽ *Dei*, quoniam violenta eſt, & morte cogit ad ſuas partes, (quod tamen æquè verè de Romana Eccleſia dici poteſt

[*] *Venetijs impreſſ.* 1607.

poteſt. *Tertium,* inquit, *Signum eſt occiſionis & violentiæ, quia ipſi ſoli Saraceni nutriunt Aſſaſinos, occiſores hominum, quibus ex ipſa occiſione actiua & paſſiua, promittunt vitam æternam, & mittunt eos per mundum, vt proditoriè occidant Principes mundi: Nam huiuſmodi Aſſaſini habent caſtra & fortalitia ſua circa montẽ Libani, & ſunt obedientes Soldano Babiloniæ, qui eſt caput Saracenorũ, & non vocantur Aſſaſini à Saracenis, ſed vocantur Iſmaelitæ, quaſi radix & ſtirps Saracenorum, & principales Defẽſores & conſeruatores legis Mahumeti: ad hoc enim ſingulariter inſtruuntur & enutriuntur, vt occiſionẽ exerceant:* Hucuſq; ille; quod quã exactè quadret in *Ieſuitas*, cuiuſuis eſto iudiciũ qui vel tantillum habet cerebri: proinde caueant omnes, qui ſuæ ſaluti conſultum velint, caueant inquam, huiuſmodi homines, quos

*Sint placidi licet, & lambant
digitoſq;, manuſque,
Si dolor & bilis, ſi iuſta coegerit ira,*

* Martial.

Inuenient

Inuenient vrſos.

Sed hæc hactenus.

Confeſſarius autem poſt biduum reuerſus, multis habitis, vt priùs, quæſtiunculis, quem nempè fructum ex ſingulis meditationibus percepiſſem, & id genus alijs (quibus omnibus ita reſpondi, vt facilem me & ſequacem, nec non ei vitæ generi commodiſſimum fore ſpem facerem) demùm profert libellum quendam planè minutum, ſed manu deſcriptum, collegij regulas omnibus eius alumnis diligentiſſimè obſeruandas continentem, & inſequenti die iubet perlegere, vt ſi quæ inibi ſunt, quorum obſeruationem penes me non eſſe iudicarem, eloquerer planè, nec illorum ſpem quàm de me conceperant vlteriùs fraudarem; ſcandalum quippè futurum & cæteris omnibus moleſtum, ſi ruptis ſeu per incuriam, ſiue pertinaciã legibus, alijs quoque inferioribus peccandi materiam præberem: Quibus ego perlectis craſtino die reſpondi, nihil illic contineri, quod me facillimè adimpleturum non rebar: * *Poſſe enim*

eſſe

eſſe talem animi affectionem cui nihil ſit graue: quin imò & daturum me operam, vt alijs potius adiumento exempli ædificatione, quàm offendiculo eſſem improbitate morum.

Hoc audito, mandat dein, [b] vt me pararem primo quoque tempore ad generalem totius vitæ confeſſionem inſtituendam; Magni quippe momenti hoc Sacramentum eſſe, nec tam ad ſordeis animarum leuandas vtilem, quàm ad veram conſcientiæ pacem afferendam neceſſariam; ne quid igitur mihi oneris reſeruarem vel pænitentiæ timore, vel verecundo pudore impeditus: ipſo etenim facto excommunicationi ſubiacere, quicunque ea quæ inter confitendum ſibi dicantur, qualia demùm ſint, vllatenùs in lucem proferat: Cui ego verbis annuens, reuera longè aliter rem ſe habere cognoui: Magnorum namquè Principum, & qui his à ſecretis ſunt Conſiliariorum, non magis ſedulò, incuſſa huiuſmodi religione, intima pectorum timantes ſcrutantur, quàm perfidè eadem

[a] *Auguſt.*

b *Quid mihi eſt cum hominibus vt audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos? curioſum genus ad cognoſcendam vitam alienam deſidioſum ad corrigendum ſuam &c. Auguſt. lib. 10. Conf. cap. 3.*

poſteà domus profeſſæ patribus, nam

[a] ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ γερόντων,

licet indirectè, per ſuppoſitiones, aliud agentes, & tanquam per ænigmata depromunt ; & quid inde *Chriſtianis Rebuſpublicis* ſequatur damni, quis tam [b] *Elephanti* corio tectus eſt, qui non ſentiat ? Nec minus iſthoc pacto in ſtudentium mores & naturam inquirunt, vt cui potiſſimum rei propenſiores ſint indagentur ; quod quidem ſuperiori ſeriò interroganti fideliter reſpondere tenentur, licet non abdita retegendi, ſed ſententiam ferendi modò ſæpiùs id fiat ; vtcunque ego quod è re mea fore ſuſpicabar confeſſus, tantùm effeci, vt ſincera me fide agere non dubitarent. His peractis, mox ſcriptas proponit quæſtiones aliquot, quibus verè ſcripto reſpondeam, monet ; nam ſi falſi aliquid in reſponſis poſteà deprehendatur, cauſam proculdubiò ſufficientem futuram, ob quã è Collegio ignominioſè dimittar : Hiſce autem fermè verbis loquebatur ſchedula.

Interro-

[a] *Theogn.*

[b] *Tam ſtupidus.*

Interrogationes quibus ſincerè reſpondere tenentur, qui in Collegium Anglorum de Vrbe admittendi ſunt.

1 *Quænam ſint vera & genuina nomina & cognomina?*

2 *Quibus orti parentibus, nobilibus, plebeijs, medijs? Catholicis, Schiſmaticis, an Hæreticis? Sint in viuis an mortui? ſi viui, cuius conditionis & ſtatus? diuitis, mediocris, an infimæ ſortis? ſin mortui, quid ſibi hæreditatis, patrimonijue reliquerint, & ſit in poteſtate ſua necne?*

3 *Quos habeant fratres, ſorores, cognatos præcipuos, conſanguineos, affines, tum Catholicos, tum hæreticos? vbi viuant? dignitates pariter eorum, ſi qui ſint, titulos, & opulentiam deſcribant.*

4 *Quænam rationes eos præcipuè mouerint, vt Catholici fierent? id quorum adiumento? vbi? quo tempore factum? Num aliquid ob conſcientiam paſſi ſint, velut incarcerationes,*

mulctas

mulctas vel huiuſmodi: & an Sacerdotes, vel Ieſuitas aliquos in Anglia cognouerint? quos & vbi?

5 Quot annos nati ſint? vbi in lucem editi? prouinciarum deniq; ac villarum nomina aſcribant.

6 Quomodo educati fuerint, & vbi? quos progreſſus fecerint? Si artem aliquam teneant necne? & ſi Muſicam edocti ſint?

7 Num collegij regulis & ſtatuta, per omnia obſeruare ſe poſſe putent? ſi ſpondebunt ſe ſuperioribus perpetuo morem geſſuros?

8 An dehinc ſtudijs incumbere velint ad eum finem, vt ſacerdotes facti, ad arduum conuerſionis Angliæ opus deinceps, ad libitum ſuperiorum mittantur?

9 An morbis vllis ſint ſubiecti, qui ſtatis temporibus recurrant, vel ſecus? an bona fruantur valetudine? quoties & quo morbi genere in vita ægrotarint?

10 An denique alicuius impedimenti ſibi conſcij ſint, quo minus ſacerdotis munere fungantur, & ſit naturale an aduentitium? &c.

Subſcri-

Subſcribant nomina.

Hiſce poſtquàm reſpondiſſem, inſerta erat ſcriptura libro quem in hunc vſum Collegij Rector penes ſe habet; Et longa inſuper habita admonitione, vt præ omnibus lites exercere, nec minùs alicuius partibus ſi quis forſan querulus & proteruus inueniretur, adhærere cauerem, poſt huiuſmodi duodecim dierum incarcerationem (quàm tamen moderatè paſſus ſum) conceſſum eſt demùm commodiore frui luce, & tanquam ex iniquiſſimo *Trophonij* antro excedere.

Atque huius ſanè exercitij (de quo tantopere ſe iactant) modum, alicubi neceſſariò recenſendum, hic intexere malui, quoniam licet ipſe *Romam* aduenieus primò hoc ferculum deguſtârim, eodem tamen perpetuò accipiuntur *Audomaropolim* appellentes; ſic vbique gentium ex crebra eius repetitione, humilitatis, obedientiæq; adulterinis pennis puſionibus incubando, patriæ tandem proditores excludere nituntur. Nos autem

autem iam ad propoſitum reuertamur.

Audomaropolitana in Hiſpaniam & Italiam annua miſſio.

Cap. IV.

Poſtquàm igitur exploratores iſti, terræ (cui ſemina mandaturi ſint) naturam inueſtigârint, ſi minus aptam infælici *Seminariorum* lolio conſpexerint, quid ni ſteriles ſuperſtitionis auenas inſpargant, vt *Monachus* vel *Frater* fiat; cuius ordinis non morantur, ſeu habitum malit *Auguſtiniani, Bernardini, Carmelitæ, Benedictini, Capuccini, Chordigeruli, Dominicani*, vel cuiuſuis denique alterius ordinis (dies enim me deficeret, ſi ſingulis huius farinæ monſtris enumerandis immorarer;) idque eo faciunt conſilio, vt non minùs iſte humilitatis, abſtinentiæ, caſtitatis, pænitẽtiæq; exemplo patriæ vtilis ſit, quàm cæteri qui doctrina & eruditione omnimoda (ad cuius nempe faſtigium, quod de *Amphitheatrica*

theatricæ molis magnitudine dixit *Ammianus,* [a] *ægrè viſio humana conſcendit)* errores reſecant, hæreſeis reſtingunt, & aduerſarios confundunt; Ita ſcilicet [b] *Locuſtæ Antichriſtiano,* non tam opus eſt *Scorpÿ* cauda qua feriat, quàm mulieris facie qua decipiat: & licet in *Anglia,* quò non niſi ſelectiſſimi (quiqui demùm ſint) deſtinantur

> [c] *Rara iuuant primis vt maior*
> *gratia pomis,*

Teſtor tamen *Italiã,* vtpote *Hydrã* vnde huiuſmodi capita pullulãt, *Hiſpaniã, Galliam,* & *Germaniã,* ſi quos, vel parentum iudicio, viros nequiores *Sol* conſpiciat; ſeu ignorantiam cauſeris, vnus aut alter in monaſterio *Miſſam* interpretari nouit; reliqui [d] [illegible], qui quid dicant neſcientes, ſola inter præcandũ [e] *tolutiloquentia* mirè ſibi complacent: ſeu *hypocriſim,* Deus bone [*] incuruiceruicum iſtud *Monachorum* pecus,

> [f] *Quantum vertice in altum,*
> *tantum radice in Tartara tendit.*

Seu ingluuiem.

D In

[a] *Ammian. Mar. Lib.* 1.

[b] *Apocal. cap.* 9. *ver.* 7

[c] *Martial.*

[d] *Veruecũ in patria, craſſoq; ſub aëre nati. ſic Theod. Mar.*

[e] *Apul.*

[*] *Sic Eraſ. in Dialog.* [illegible]

[f] *Virgil.*

[a] *In ventre ſapere didicit*
nimirum Solon.

Seu deniq; infandum illud & flagitioſiſſimum *Sodomitarū* ſcelus: Eloquar? an ſileam? nullum, nullum prorſus inuenitur *Cænobium* in quo non ſint huiuſmodi *Cinædi*, [b] *virorum fæminæ, & fæminarum viri,* vt nunquam in omne æuum [c] ἀνεξάλειπτα ista ὀνείδη abluere poterunt: Nec minus ſanè arguit ipſiſſimorum *Papiſtarum,* qui *Romam* peregrinantur, dicterium [d] *Non vtile eſſe membris caput inuiſere:* rectiùs enim de *Italis* qui nunc ſunt dixiſſet [e] *Seneca, Nunquam inter homines fui, quin minor homo redij.*

Sin tellurem excultam iam, & ad manus occatam paratamque cui ſemen immittatur, reperiant: iam tum, quò perpetuò ſibi deuinciant ne quauis occurrente cauſa refugere pedemque referre queant, (dicam quod mihi quoque inter cęteros vſuuenit, à quo tamen licèt difficulter inſcitiam, nec immerito, cauſatus, memet liberaui) aliquid ab eo ſcribillandum efflagitant, ſeu [f] τὰ πολέμια δεινότατος, *Lindiorum* more dijs ſuis exe-

ecrati-

[a] *Vid. Eraſm. in Chiliad.*

[b] *Sueton. in Tib. Ner.*

[c] *Plutar.* περὶ παίδ. ἀγωγ. *opprobria indelebilia.*

[d] *In fatti non biſogna li piedi viſitar' il capo prou. Ital.*

[e] *Seneca.*

[f] *Sic Demoſt. Olynt. 1. q.d. Acer in armis. Virg.*

ecrationibus ſacra faciat,[a] *Quos veritate non poteſt lacerans conuitijs*: ſeu *palinodiam* canat anteactæ vitæ, errores in quibus hactenùs vixerit deteſtatus: Seu denique quodcunque ex ijs, quæ hodie contrauertuntur, oppugnandum ſumat,

[b] *Impar congreſſus Achilli*,

qui nondum quæſtionis ſtatum intelligere didicit: Ex hoc capite promanarunt egregia illa nuper edita opuſcula, *Anglicano* idiomate ſcripta, [c]*Triumphus veritatis*, [d]*Conſiderationes graues* ad ſereniſſimum *Angliæ* regem dicatæ, & *Purgatorij* neſcio quæ aſſertio defenſiua. Itane verò periiſſe frontem de rebus? An tali patrocinio ſperauit fore, vt [e] *abolitionem* poſtulemus, quaſi per errorem ſeu temeritatem, ſeu calorem exulaſſet; Quæ ſpurcior [f] ὑωδία? At [g] *contradicere ſtultis ſtultitiæ eſt maioris*: optârim equidem, non reciprocandam cum iſtis diſputationis ſerram, ſed *Pomponij Attici* eloquentia, perinde ac latrantes caniculos deſpicabiliter vindicandos: verum pergamus *Romam*, quibuſdam namq;

a *Ambroſ. in Pſal.*

b *Virgil.*

c *Authore T.L.*

d *Authore T.H.*

e *Paulus Iuriſconſ.*

f *Suina in cæno volutatio. Arnob. li. 1.*

g *Aul. Gellius in noct. Attic.*

[a] *Oedip. apud Sopho.*

a πίεω ἐξόπιν κακουργεῖν ϗ δυστυχεῖν.

Simulac igitur nimio ſuo periculo hoc fecerint, continuò (modo ingruat hyems, quo tempore [b] ſapientes ad vtilia, de *Foro Iulij* ſalutis prouiſores, miſſiones tam in *Hiſpaniam* quàm in *Italiam* ablegant) *Romam* verſus litteris ornati, & quinque, vt plurimùm minis *Anglicanis* viatici nomine donati ſinguli, omnes ſimul, quotquòt fuerint, iter ſuſcipiunt: nec eſt quod itinerantes morentur, ni *Virginem Lauretanam* inuiſendi ſtudio, miliaria, ad minimum ducentena deuiare velint: Illuc aduenientes, comiter excipit *Ieſuita* quidam, qui ſemper ibi *Confeſſarij* nomine reſidet *Anglus*, in fanum ducit, theſaurum oſtendit, ingentem planè; at qui alijs vtilior eſſet, quàm ijs qui poſſident: & miracula prædicat, frequentiſſima quidẽ (appenſis tabulis votiuis, vt cõijcere licet ſeptem aut octo millibus) ſed homini cordato pluſquam incredibilia: Inclament enim illi huius principis, illius ducis, quorundam etiam Antiſtitum & *Cardinalium* fidem, immo

[b] *Sapientes ad vtilia: Rauennatium titulus.*

immò interponant, ſi velint, fulmen *Papale* ni credamus; Nihil agunt; *Duci poteſt animus, cogi non poteſt,* Non credimus: Miracula ſcimus fictitia, fulmina videmus bruta, & vt leges, quas olim *Romani* tulerunt, de diſſecandis corporibus debitorum qui non eſſent ſoluendo, [a] *ad terrorem potiùs quàm ad vſum inuenta:* Quinimo miramur non conuerſuram nos omnes, vnico miraculo incoram facto, quæ tantum poteſt ſanctiſſimam virginem, nam [a] *Aug. Gell. in noct. Attic.*

[b] *Pluris eſt oculatus teſtis vnus; quam auriti decem.* [b] *Plaut.*

Sed huiuſmodi miracula, cum corã nobis fiant, proindè ſe habẽt vt [c] *Mahumeti* prodigia, quibus homines ad ſe conuertere nitebatur, *Quæ cum narraſſet, ſexaginta millia hominũ à lege ſua receſſerunt.* Proinde cum dicerent ei, [d] *Aſcende in cœlum nobis cernentibus de die, & videamus Angelos occurrẽtes: Reſpondit, Laus Deo meo: Nunquid alius ego ſum quã vnus hominũ & nuntius?* Et vt ipſe refert, *Dixerũt de Mahumeto, ſcilicet auſcultaſti ſomnia, ſed blaſphemias cõcinnaſti,*

[c] *Pro vug. fid. adu. Saracen.*

[d] *Alchoran. in Cap. Elembra.*

vel certè Poetizas : Venias ad nos ſaltem cum miraculo vno, quemadmodum miſſi ſunt priores : Reſpondit, & deſtruxit, inquit, Deus ciuitates ante eos qui non crediderunt, nunquid credent ipſi ? Sed ita eſt, [a] deprehenſi palam miraculis fictitijs & hærentes *Ieſuitæ*, non alio, inquiunt, pacto incuti populis religio & augeri poterit deuotio : Ridiculè ; Quin potius licet primas [b] *ſapientiæ habere non potuiſtis, habeatis ſaltem ſecundas modeſtiæ :* ſin minùs, Rapiamini quàm primùm in *Hippocratis* officinam cum huiuſmodi fabulis, & miraculis veſtris : Ego verò hanc *Lernam* mouere vlterius nolo, metuens ſcilicet, ne me *Romam* præueniant comites mei, qui iam vrbem ſubingreſſi

—χρύσεον ἰχθὺν

Παντᾷ τῷ χρυσῷ πεπυκασμένον,

quem dudum ſomniârant nuſquam conſpicantes, non [d] *carbones ſed rapam ſubaridam reperiunt*. Spem hominum fallacem ; At collegium aduenientes excipiunt patres, ſodales, amici deniq; omnes quotquot ſunt; & diebus aliquot ſuauiter tranſactis, quò

[a] *Vide Annal. Venet. Vbi plurima huiuſmodi miracula fictitia ad perpetuam rei memoriam recenſentur*

[b] *D. Auguſt.*

[c] *Theocr. Aureum piſcem vndequaque auro ornatum.*

[d] *Eraſmus in adag.*

quò vires recolligant, & itineris tædij obliuiſcantur vrbem circumducuntur, antiquitates edocentur, & ſi qua alia inter tantas ruinas viſu digna ſunt, vt *qui nouitia muſta contemnunt, ſaltem veteris vini autoritate ducantur.* * Hier. ep. ad Marcel. 138.

Poſt viſitatas demùm ſeptem eccleſias, quò indulgentias conſequantur, quas quædam in eis altaria inuiſentibus multorum millium annorum Pontifices indulſerunt, deferuntur aduenarum nomina & numerus ad *Protectorem Anglorum* qui nunc eſt *Cardinalis Farneſius*, is enim neſcio quid iuris in eos habet, & poſtea idẽtidem excercitio illi ſpirituali vacant, quo ritè peracto, cæteris *Collegij* alumnis habitu & viuendi ratione conformes efficiuntur.

Obſeruanda quædam circa Superiorum ſubordinationem, & ſtudiorum inſtitutionem.

Cap. V.

ANtequam diuturnum in *Collegio* viuendi morem deſcribam, quem vno aut altero verbo abſoluam, paucula quædam præmittenda videntur de ſuperiorum ſubordinatione, & generali ſtudiorum inſtitutione, quæ ſic habent.

Sunt in hoc *Collegio*, quod prius erat *Anglorum* hoſpitale, quam *Gregorius* eius nominis Pontifex decimus tertius in *Seminarium* vertit, annuis redditibus auxit, & *Ieſuitarũ* imperio ſubiacere iuſſit, viuunt inquam ibi, nunc vndecim *Ieſuitæ*, Sacerdotes octo & ſcholares quinquaginta, aut non multo ſecùs, qui omnes *Rectoris* (cuius nomen aſſumptitiũ eſt vt & cæterorum omnium qui illic degunt *Anglorum*) nutu reguntur, ipſe verò ſoli *Claudio Aquaninæ* præpoſito generali, qui immediatè à *Papa* dependet, obediens eſt.

Primum

Primum igitur, vt dixi, locum tenet *Reuerendus*, quem vocant, pater *Rector, Thomas Odoenus Wallus, Roberto Parſonio* non ita pridem mortuo ſuffectus, cui proximè ſubordinatur *Pater Miniſter Henricus Knottus*, reliqui vero omnes *Ieſuitæ* (qui à ſuis, κατ' ἐξοχὴν, vocantur patres) promiſcuè & æqualiter inter ſe conferuntur. *Pater Coffinus* Confeſſarius dictus, *Pater Seliſdonus* Repetitor Theologicus, *Pr. Clarus Hibernus* repetitor Phyſicus, atque hi quinque ſacerdotes ſunt, reliqui non item, *Pr.* repetitor *Metaphyſicus* natione *Belga, Pr.* Repetitor *Logicus, Italus*, vt & *Pr. Guardoroba* dictus, & *Pr Subminiſter*, qui rem curat ſolummodò culinariam, *Pr. Sacriſtanus Anglus*, & *Pr. Hugo Sheldonus Anglus*, cui infirmorum cura demandatur: atq; hi ſuas ſibi ſocietatis *Ieſu* regulas habent, nihil forſan cum cæteris commune continentes.

Scholarium verò alterplex eſt ordo, quidam enim & ij longè plurimi *Alumni* ſunt, qui poſtquam ibi ſex menſes permanſerint, iuramento ſe

obſtrin-

obſtringant neceſſe eſt, futuros ſe, modò viuant, ſacerdotes, & *Pontificiæ* deinceps autoritati ſubditos per omnia: Alij verò *Conuictores* ſunt, qui proprijs impenſis viuunt, nec tamen cæteris quicquam intereſt, ſeu quoad veſtitum ſeu victum, verum in hoc ſolo differunt, quod hi pro ſuo arbitrio diſcedendi facultatē habent, vtpote qui non ſunt huiuſmodi iureiurando obſtricti: reliqui non item.

Scholarium autem integer numerus in tres *Recreationes* diuiditur; (*Recreationem* dicunt eos qui inter recreandum inuicem colloqui, conuerſari,& ludere poſſunt)quarū vnaquęq; duo vel ad ſummū tria cubicula continet; ſingula autē cubicula ſuū habent præfectum & vice pręfectum, (quorū ille perpepetuò ſacerdos eſt, iſte vt plurimum)& ſex aut ſeptem lectos,non omninò incōmodos: Dormiunt ſoli, quibus ſingulis iuxta lectum apponitur tabula, cum ſcrinio & libellis aliquot, quos præfectus ſtudiorum,(qui idem eſt & *Theologicus* repetitor)vtiles cenſuerit.

Si

Si quis ſtudiorum tempore cubiculo egrediatur, à *Præfecto* vel *Subpræfecto* veniam petat neceſſe eſt, ni malit penitentiam agere.

Sunt in Collegio duæ Bibliothecæ, vna & quidem bella ſatis, in quã nemo *Scholarium* ingredi poſſit, niſi obtenta priùs claue à *Superiore*, putà *Patre Miniſtro*, *Confeſſario*, præfecto ſtudiorum, aut ſuæ claſſis repetitore, ibique duntaxàt ſedendo leget, nam librum ſecum non exportabit ſub pæna expulſionis: Altera vero magis publica, nempe in aula communi, paucis libellis ornata, ſed quos ſtudioſis præcipuè vſui fore arbitrantur, illic quiuis impunè non petita priùs venia quandocunque ac quandiu volet, legat: at librum itidem nullatenus exportabit. Libros nemo abſque facultate prius a *Rectore* habita ſibi comparabit, quos diſcedens vel ſecum auferet vel *Collegij* relinquet vſui, interea loci nemini mutuo dabit; habent etiam ſingula Cubicula ſuos ſibi libros, *Lexicon Græcum* & *Latinum*, vitas *Sanctorum*, ac alios ad deuotionem

tionem plerunque ſpectantes.

Studiorum curſus ad ſeptimum annum diſtenditur, quorum primo *Logicæ* incumbant, ſecundo naturali *Philoſophiæ*, tertio *Metaphyſicæ*, ac quatuor reliquis *Theologiæ*.

Ad finem ſingulorum annorum examinantur omnes, quos progreſſus fecerint, & num idonei ſint ad ſuperiorem claſſem tranſgredi: Qui per ætatem ingeniumue huius diſciplinæ non ſunt capaces, eis breuior curſus obuenit, vt ſcilicet audita primo anno *Logica*, & duobus inſequentibus *Conſcientiæ caſibus*, mox in *Angliam* Sacerdotes facti ablegantur. *P*. *Miniſter*, vel *Præfectus* ſtudiorum, quoties viſum fuerit ſcrinia ſtudentium & chartas perſcrutabitur.

In principio cuiuſq; menſis conueniunt vniuerſi in aulam, vbi ſortitò ſuus cuilibet patronus ex illius menſis *Calendarij* ſanctis datur vna cum ſententia breuiuſcula, & ſcopo in quem (durante menſe) orationes plerunque dirigant, & pariter inter orandum meditationes; ac ſi *Martij* principio conueniatur, exibit forſan

forſan alicui ſors huiuſmodi,

Sancti Gregorij Papæ Confeſſoris & Eccleſiæ Doctoris, Martij, 12.

Beatus eſt qui habet omnia quæ vult & nihil vult mali. D. Auguſt. Deſiderium Martyrij.

Pro cōuerſione Hæreticorum. Huic igitur *Beatus Gregorius* mēſtruus eſſet patronus & mediator, *Deſiderium Martyrij* meditādi punctū, & *Cōuerſio Hæreticorū* orationū ſcopus. Atq; ita de alijs. Vnuſquiſq; ſacerdotum ſingulis diebus ſacrum faciet: ſinguliſque *Dominicis* vniuerſi *Scholares* communicabunt, ſæpiùs autem ſi interueniat dies alicuius *Sancti* feſtus, cui deuotionem præſtare velint.

Veneris diebus Præfecti & Subpræfecti omnes *Rectorem* adeuntes cubiculorum ſibi commiſſorum rationem reddent, & quæ in ijs commiſſa fuerint crimina, fideliter ac verè ennarrabunt.

In *Refectorio* vbi ad comedendum conuentum eſt, ſedentibus patribus, reliqui promiſcuè & ſine differentia conſident.

Litteras qui quòuis mittet, patri

Miniſtro

Miniſtro primùm legendas & obſignandas tradet : qui idem etiam, quotquot ad *Collegium* vndecunq; afferantur, reſignabit & euoluet, dein ſi libeat, det ej cui inſcribantur; ſin minùs, penes ſe detineat.

E *Collegij* porta exibit nemo niſi petita priùs à *P*[e]. *Miniſtro* venia, & duobus inſuper vel tribus alijs comitatus, quorum vnus erit prę fectus vel Vicepræfectus Cubiculi ſui.

Quicunque ſe aduerſa valetudine affectum ſentiat, id quàm primum Præfecto ſuo narrabit, à quo cõſultus *P*[r]. *Miniſter, in Infirmarium deferri ægrotum* & accerſendum medicum (quẽ vnà cum *Pharmacopola* habent *Collegio* peculiarem) iubebit.

Cuiuis culpæ, quæ ad *P*[rem]. *Miniſtrum* (is enim inſtar *Decani* eſt) defertur, ſua debetur pœnitentia; ſi leuiuſcula ſit, terram forſan ſemel vel pluries oſculabitur, *Salutationem Angelicam*, aut orationen *Dominicam* repetet : ſin grauior fuerit, in *Refectorio* inter cænandum aut prandendum culpam confitebitur, & aliquorum vel omnium pedes deoſcula-

culabuntur: Quin etiam inueniuntur quotidiè, qui occurrente aliquo die feſto, eius vigilia, ſua ſponte p^rem^. *Miniſtrum* adeunt, petuntque, vt mortificationis cauſa, liceat palam crimina ſua deteſtari, annuente illo, ſimulac ad prandium conuenerint, è ſuggeſto (vnde ſemper aliquid refectionis tempore legitur) huiuſmodi fermè quiſque oratiunculam habet:

Reuerendi Patres, & Fratres chariſſimi, dico vobis meas culpas; Soleo ego, audito campanæ ſonitu, tardiùs memet excitare, ſtudiorum tempore cum alijs confabulari, cubiculo, non ſignato nomine ſæpiùs egredi, &c. Pro quibus omnibus, ipſe dolens, & verecundia ſuffuſus, vos itidem rogo, vt Deum miſericordiam mihi præſtare oretis; & iniunctum eſt mihi pro pœnitentia, omnium Sacerdotum pedes deoſculari: Semper enim aliquid tale (quoniam peccatum mortale multos eſſe dicunt, qui per ſeptennium non cōmittant) confitentur, pro pænitentia accipiunt: Iſtum tamen qui ſic ſua ſponte humiliatur, ſimulac aula

aula egreſſus eſt, inuenies verba iniurioſa, & comparationes odioſas ſodalibus ingerentem, talem nempe futurum aliquando,

[a] *Iuuenal.*

[a] *Si fortuna volet ſiet vt de*
Rhetore conſul,

qualis *Amethiſtinatus* ille togatorum *Alpha* & *Omega* ſcriptorum *Bellarminus*, qui è *Ieſuiticæ* humilitatis ſcholis prodiens, mox vt [b] *Vrbanus ſit Parochus*, non parem ſibi decernit aduerſarium niſi *Regem*. Itaque ſi *Rex* quiſpiam, ſit licèt ſereniſſimus potentiſſimuſque, qui multis (ne dicam millibus) nobilioribus, ditioribus, & doctioribus imperet, librum aliquē ediderit non ſignato nomine, itidem faciens & Cardinalis ſacellani ſui nomen preponet. Eho *Bellarmine*, ſat eſt te, nouimus, nam

[b] *Cardinalis.*

[c] *Martial.*

[c] *Omnia cum fecit Thaida*
Thais olet.

Obedientiam (vt ſuperiùs dixi) precipuè & præ omnibus ſuadent, vt *Throckmortonum* quendam, qui ante aliquot annos ibi diem ſuum obijt, tum mirè laudibus efferant, ob

ob eam quam viuens præſtitit obedientiam, tum

—[*] *Dignum*
Et riſu, & ſale, & omnibus cachinnis,

tantum non beatum faciunt quod ægrotans, & iam moribundus, *Quæſo*, inquit, iuxta aſſidenti Rectori, *vnicum mihi indulgeat veſtra Reuerentia*; Sciſcitanti illi, & quidnam demum eſſet interroganti, vt *veniam* inquit, *det moriendi*; Cui ille, *Libenter ſane, abeas itaque in pace*: Quo audito, animam continuò exhalauit æger.

Et hæc quidem hucuſq;, iam quotidianum viuendi morem deſcribamus.

Ordinaria dierum tranſactio, á mane vſq; ad noctem.

Cap. VI.

Hora matutina media inter quartam & quintam, vt noſtrates computant, ad pulſum campanæ, omnes ſe lectis taciti eximunt, & di-

[*] *Catul.*

midiata hora ſibi veſtiendis & lectu-
lis componēdis inſumpta, ad ſignum tintinnabuli omnes ſe ad præfectum vnuſquiſque ſui cubiculi conferunt, qui quæ heſterna nocte propoſuerat, iam repetit puncta, quæ per dimidium horæ, flexis genibus meditanda ſunt.

Finita meditatione, iterum dante ſignum campana, vniuerſi ſimul in *Eccleſiam* miſſam audituri properant: Qua conſummata celeriter ſe in cubicula recipiunt, ibique duabus, plus minùs, horis ſtudendo impenſis, pulſante denuò campana in *Refectorium* conueniunt, vbi datur ſingulis buccella panis, & modicum vini: Deinde ad portam expectant, dum conuenerint omnes, quo facto binario ſemper ordine procedunt ad ſcholas, *Logici* primò, mox *Phyſici*, dein *Metaphyſici*, ac poſtremò *Theologi*: Cuique claſſi præponitur *Bedellus*, quem vocant, cuius munus eſt *Phalanges* in ordinem reducere, ac ſi quid inter eundum peccetur, *Patri Miniſtro* dicere: vbi ad ſcholas ven-
tum

tum eſt, vnuſquiſque ſuam agnoſcit ſedem, chartamq; parat & calamum; nullus enim eſt, quem dictata excipere non oporteat ſiue per ſe, ſi alumnus, ſiue per alium ſi *Conuictor* ſit, qui tantum pecuniæ expendere malit: Adueniens tandem *Ieſuita* prælector, *Tho. Aquinatis* argutias, *Scoti* deliramenta, *Auerrhois* mendacia, ac id genus alia quam plurima bonis lateribus per tres horæ partes declamans dictat, quæ omnia *Scholares* verbatim excipiunt: dein per quartam horæ partem dictata explicat: quo facto deſcendit & in Scholæ inferiori parte ambulat, vt ſi quis de re aliqua dubitet, eundem liberè & maturè conſulat.

At *Scholares* interea vnoquoque ſuam vicem obeunte, quę triduo priùs prælecta erant repetunt, ac de ijs diſputant, moderante ſemper eiuſdem claſſis *Ieſuita* aliquo; ſicq; tranſ-ſacto dimidio horæ, mox ad *Scholæ* portas ſubſiſtunt, dum omnes claſſes conuenerint, quod ſimul ac factum eſt, eodem ordine quo venerunt domum redeunt, niſi quod tunc

Roſaria recitarent, nunc verò impunè colloqui queant, modo ſubmiſſa voce & *Latine* vel *Italice* id agatur.

Domum aduenientes excipit primus ad prandium pulſus, quo audito (ſi dies ſit *Lunæ*, *Iouis*, vel *Sabbati*) omnes ſimul cubicula ſua verrunt, & ſordeis alternis vicibus exportant: moxque denuò pulſante campanula, in *Refectorium* lotis manibus feſtinant, & poſtquam appoſitis apponendiſque benedixerit ſacerdos aliquis, conſident: quid plura? diæta commoda ſane, vino verò ob calorem loci dilutiore vtuntur, cui tamen & ipſi aquam admiſcent, nam ſi quis paulò meraciùs bibere deprehendatur, in eum animaduertitur. Prandij tempore ſemper aliquis ad hoc deputatus, è ſuggeſto primò duos vel tres ſacræ ſcripturæ verſus conſequenter recitat, deinde verò librum aliquem de controuerſis, è *Ieſuitarum* officina legit, vſque dum *Rector* ſignum dederit tacendi, cum ſubitò ſonante tintinnabulo, omnes ſimul à menſa ſurgunt, & habita gratiarum actione, vnuſquiſque in templo orationem

tionem dominicam, & ſalutationem angelicam recitat, pro anima *Gregory decimi terty:* dein ad peculiarem recreationis locum vadunt, vbi poſtquàm ludendo colloquendoque horam abegerint, ad campanæ ſonitum ſe in cubicula lecturi recipiunt, vnde poſt breue tempus euocantur ad repetitiones, quarum loca diſcreta ſingulis claſſibus deſtinantur : ibi præſidente eius claſſis repetitore, poſtquàm per horam litigauerint, recedunt ad ſtudia, quæ plerunque dictatis euoluendis impenduntur.

Hora circiter tertia, vt mane factum eſt, itidem & nunc, nam poſt ſumptam merendam, eodem ordine ad ſcholas eunt, domumq; redeunt; Redeuntes poſt binos campanæ ſonitus cœna excipiuntur, quæ nihil à prandio differt niſi quod parcior ſit aliquantò, & quod ſub finem eius legatur craſtinæ diei *Martyrologium,* pleraque *Martyrum* nomina continens, qui eo die vllubi terrarum paſſi ſunt, quibus adiungit demùm lector, *Atque alibi, aliorum plurimorum Confeſſorum, Sanctorum, Martyrum,*

& virginum, quorum precibus & meritis nos humiliter commendamus. Finita cœna & oratione pro *Fundatore* ſuo, omnes hiberno tempore in recreationes, æſtate verò in hortum ſe recipiunt, vbi tria ſunt tribus recreationibus diſtincta loca, quodãmodo enim capitale eſt, ſi quis aliquem alterius recreationis alloquatur, excepta breui aliqua, quando quis obuiam fit, ſalutatione: nec enim licet duobus eiuſdem recreationis colloqui ſine arbitro, quin & ſi tres quatuorue cæteris coniunctiores & inter ſe amiciores animaduertant, ſegregant protinùs & in diuerſas recreationes eoſdem diſſipant, quod quidem *Mortificationis* gratia ſe facere dicunt, cum reuera zelotypia, & ſuſpitione moti id agant: * *Suos enim patitur manes, & ſæua ſibi ſemper minatur perturbata conſcientia*, adeò durum eſt contra veritatem calcitrare.

* *Seneca.*

Illud obiter obſeruandum, cum multa habeant ludorum genera liberalia ſatis, & quæ ingenuum hominem deceant, nunquam tamen ludere

re eos depoſitis nummis, immo ne aciculis quidem, at victoris præmium ſunt victi preces, aliàs *ſalutatio Angelica*, alias *Oratio dominica*, alias verò ſeptem *Pſalmi* pænitentiales, pluſue minuſue, prout ipſi in principio conſtituerint. *Chi perde guadagna Prouer.*

Hora circiter nona ad pulſum campanæ conueniunt in templum, vbi pòſt recitatas *Litanias*, iubentur ſinguli dicere *Pater* & *Aue* (ipſorum enim verba ſunt) ad intentionem *Reuerendi Patris rectoris*, quo facto in cubicula abeunt, & taciti præfecto auſcultant, dum proponat ex libro puncta, quæ craſtino die meditentur; mox verò extincto lumine omnes ſimul cubitum diſcedunt.

Extraordinaria quædam Dominicis & Vineæ diebus occurrentia.

Cap. VII.

DIES Dominicus ſic tranſigitur; Surgitur paulo tardiùs quám ceteris diebus, & medita-

tio eodem modo perficitur, dein communicant vniuerſi, die nempe *Sabbati* confeſſi : poſteà libros deuotionis legunt dum *Solennis Miſſa* ſit decantanda, quam quis cantabit pridiè edictum.

Sabbato enim inter prandendum perpetuò denũciatur, quis Sacerdos, ad quod altare, qua hora, & ad quam intentionem (quæ ſuperiorum eſt plerumque) inſequenti ſeptimana miſſam celebrabit.

Prandij tempore, aut legitur *Homilia* de die, aut *Logicus* aliquis, poſitionem, ac ſi eſſet, quandam aut *Theſin* proponit : Recreatio itidem eſt, vt alijs diebus; Conuocantur tamẽ nonnunquã tum hiſce, tum vineæ diebus, noua ſi qua acceperit *Rector*, audituri, quæ ſuo more enunciat ille, & modo aliquid reticendo, modo quodcunq; voluerit ſuperaddendo, textum commentarijs iniquiſſime corrumpit.

Incredibilia planè ſunt homini *Chriſtiano*, quæ ego verba ex eius ore hac occaſione audiuerim, quàm perdite ſtudioſos in odium patriæ

perducat

perducat, quàm contumelioſe in *Principē* inuehatur, quàm diabolice ab *Epiſcopis* detractet, quam deniq; impudenter mēdacia ſua auditoribus obtrudat: Mirabar equidem ſæpiùs non dehiſcere illi terram vt viuus ad mendaciū, & mendaciorum patrem deſcenderet: Clamaſſem proculdubiò multoties ad *Scholares*, ſi licuiſſet

Hic foſſa eſt ingens, hic rupes
maxima, ſerua,

vt incautis clamatum eſt olim, ſed calumnijs ſuis ſimplex [a] *abnutiuum ſpondere* non audebam, ob nimiam quàm de me habebant ſuſpicionem, aures itaque vnà cum cæteris hirrientib[b] *Elboracho* præbebam; Quicquid in *Anglia*, quauis authoritate factū, quicquid ibi a quouis dictum ſcriptumue accipiunt, protinus eidem occinunt interdicta, *manuconſertionem, glebam, vindicias*: *I*mprobi, [c] νομίζοντες ἐν ταῖς ἀλλοτρίαις αἰσχύναις αὐτοὺς συσκευάζειν, proceresque reuera *Romani*, [d] *mancipia ignauiæ & voluptatis, qui homines eruditos & ſobrios, vt infauſtos & inutiles reijciunt.*

Vtcun-

φύλαξαι.

[a] *Paul. Iuriſconſ q.d. aperte contra dicere.*

[b] *Beſtia ſuper quam Mahometus in Alchorano fingit ſe in cœlū vſq; equitaſſe | vid. cap. Elembra.*

[c] *Liban. ad Modeſt.*

[d] *Ammiā Marcellin.*

Vtcunque concludit ſemper venerabilis ille *Rector*, bono animo eſſe debere cunctos, ſtrenuéque in vinea Domini laborare, creſcere affatim *Catholicorum* in *Anglia* numerum, nec infinitum opus eſſe *Britanniæ* conuerſionem, ſed (quod *Sanctorum indigenarum* auxilio breui futurum ſperant) cōuerſa parte vel *MELIORE* vel *MAIORE*, de cętero nihil illis agendum reſtare: Inſuper aliquādo addidiſſe memini, tantopere, vel ipſis Miniſtris olere Religionem noſtram, vt in vno *Suſſexiæ* comitatu (quod ſcriptum ſibi dixit ex *Anglia* à patre quodā ſocietatis) viginti octo eſſent ad minimùm, qui hæreſeos pertæſi, & ſe in cordibus ſuis pontificios eſſe agnoſcentes, aptam tantūmodò tranſgrediendi anſam expectarent: Ad ſuas prætérea partes multos indies nobiles, eoſq; ſummis in locis conſtitutos accedere mentitus eſt; vt non dubium ſit quin mox eadem autoritate recipiatur papiſmus, qua non ita pridem exulauit: Obtuſam porrò vindicis gladij aciem iam prædicauit, videre

**Hoc enim monacho Cãtuarenſi reuelatum dicunt anno 1100. Extat hiſtoria in vit. Tho. Cant.*

dere nempe acerrimos perſecutores plus ſe *Catholicorum* cæde, cauſæ ſuæ obeſſe quàm prodeſſe.

Alia quoque huiuſmodi quam plurima aſſiduè comminiſcitur, partim nouas ſibi ſpes fingendo, quas tamen non [a] *emiſſim titiuillitio*, partim, quod ipſum optimè deceat, [b] *caninam facundiam in vnctum Domini euomendo*, quam ex ore meo, ne per modum quidem narrationis, egredi licere arbitror.

[a] *Plaut.*
[b] *D. Hier. in Heluid.*

Dimiſſi *Scholares* in aulam conueniunt, excercituri ſe prout *P^r. Miniſter* volet, Inferiorum claſſium tres vel quatuor, breui quadam oratiuncula, quam memoriter ediſcunt, & ſic incipit; *Sacræ teſtantur literæ, primum humani generis parentẽ &c.* quo vocem geſtumque pariter ad concionandum efforment: *Theologorum* verò qui euocantur aliquid extemporaneum depromunt in *Euangelij* particulam quod illo die legitur: Poſtea *Hæbraicæ*, dein *Græcæ* lectioni attendunt qui volunt: Demum peractis veſpertinis in ciuitatem exſpatiari

licet

licet, modo conueniens ſit eorum numerus, ſimulque accomitetur *Præfectus*, frequentiùs autem templum, vbi is dies feſtus agitur, inuiſunt: Inter cœnandum concionatur *Theologorum* aliquis, ſed glacie ita viuam tanta,

* Catul.

* *Neronianas quanta refrigeret thermas.*

Nec in cæteris, à diebus ordinariis differunt Dominici. Vineæ vero (ſic apellatur) dies ſingulis hepdomadis occurrit, ſtatuunt enim prælectores, nunquam ſibi per continuum quatriduum, perpetim abſque intermiſſione prælegendum: *Mercurij* igitur dies is eſt plerunque, nec noſtratibus ſolum proprius, ſed *Germanis*, *Græcis*, *Romanis*, *Nouitys*, ac cęteris, quotquot ſunt in vrbe, ſeminarijs communis. Illo die librum inſpicere qui non eſt deuotionis, nefas ducitur, ni habeatur à *Superiori* ad id expreſſa facultas; at multo manè excitati, quoquò volunt, ante exortum ſolem (ſed audito priùs ſacro) deambulant, poſtmodum ingruente calore, ad vineam, quæ quaſi ſeſquimi-

quimiliare diſtat à *Collegio*, ſe recipiunt.

Iam tum liberius veſcuntur & lautiùs, quin & inter comedendum confabulari licet impunè, vtpote quibus nihil legitur: piaculum tamen eſt, ſi quis pomum, pirum, vuam ficumue ſuperiorum iniuſſu decerpſerit: Mihi egomet *Tantalus* videbar

Inopem quem copia fecit,

In tanta ſiquidem rerum abundantia pauper eram.

Æſtate ibi cœnant, hyeme non item: Nec aliud mihi hac de re occurrit dicendum, niſi quod ingredientes & egredientes, Pſalmum *De Profundis* pro *Gregorij decimi tertij* fundatoris optimi anima deblaterare tenentur.

Atque iſthoc ſane pacto *Collegij Anglorum de vrbe* viuunt alumni: Cæterùm quando per ætatem & ſtudiorum curſum iam peractum, Sacerdotes in *Angliam* ablegari ſuperioribus viſum fuerit, exercitium ſpirituale menſtruum imponitur, & ſuſcepto priùs iuramento de perpetua

tua in re quauis obedientia, *Pontifici* opt. max. eiuſque ſucceſſoribus, nec minùs *Archipresbytero* in *Anglia* pro tempore præſtando, quidquaginta aureis a *Papa* viatici nomine & benedictione inſuper *Apoſtolica* donati, quibus prætereà præceptis onerentur, facile eſt ex prædictis conijcere; ego verò, quod in cæteris bona fide feci, certi nihil auſim pro comperto affirmare.

(*.*)

FINIS.

Errata.

Page 4. *Linea* 12. *expunge* in orthodoxos conuitia. *Pag.* 5. *lin.* 14. *lege* ἐν ἀχερίω *Pag.* 30. *lin.* 1. *lege* illabatur *ibid. lin.* 6. æquum *lege* equum. *ibid. lin.* 7. certius *lege* rectius. *ibid. lin.* 18. *poſt definitionem inſere* opiniones. *Pag* 39. *lin.* 1. affectionem *lege* affectum. *Pag.* 43. *lin.* 1. *lege* ſubſcribantur.